

quæ ut fidelius faciant illi primum professionem faciant in hunc modum : "Ego N. T. polliceor me in hac electione Statuta nuper lecta fideliter et integre observasse et observaturum, et illum in Magistrum electurum quem his Statutis nuper lectis significari et apertius describi mea conscientia judicabit, omni illegitima affectione, metu, odio, amore, et similibus sepositis." Quam professionem reliqui omnes Socii præstabunt, unus post alterum servato ordine senioritatis suse. Quam etiam professionis formam et nullam aliam ante Magistri electionem semper observari volumus. Præstata hac professione Senior antedictus coram duobus aliis suffragium suum propria manu scribet; postea alii duo sua suffragia similiter scribent, postremo omnes alii socii presentes sua suffragia coram prædictis tribus Senioribus quiete deponent, et scribent propriis ipsorum manibus. Omnes autem hac aut consimili forma scribent : "Ego M. T. eligo Magistrum hujus Collegii N. N., etc. Quæ omnia suffragia ita conscripta præfatus Senior vel alius quispiam illorum trium aperte et distincte legat coram omnibus Sociis præsentibus, et in quem major pars præsentium consenserit, ille pro electo habeatur absque contradictione cujuscunque. Quam electionem dictus Senior, antequam recedat, sub hac forma pronuntiare tenebitur : "Ego N. T. senior hujus Collegii Socius nomine meo, et nomine omnium Sociorum, seu majoris partis eorundem, electum vobis pronuntio N. N. in Magistrum hujus Collegii." Quod si nec primo nec secundo scrutinio major pars Sociorum in unam personam consentire queat, tunc compromittant omnes et singuli Socii præsentes sua suffragia quinque Sociis senioribus omnium præsentium, et in quem major pars ipsorum Seniorum consenserit, pro electo habeatur absque hæsitatione et contradictione quacunque. Quam electionem præfatus Senior, aut (illo in Magistrum electo) qui senioritate proximus est teneatur pronuntiare, et personam sic electam admittere (si in oppido fuerit), sin minus quamprimum venire poterit, cuius adventum dictus Senior omni diligentia procurabit. Electus autem Magister hanc professionem præstat quæ sequitur : "Ego M. T. profiteor me veram Christi religionem, secundum fidem Ecclesie Anglicanæ ex animo complexurum, Scripturæ autoritatem vel optimorum hominum iudiciis præpositorum; cætera quæ ex verbo Dei nulla ratione probari possunt pro humanis habiturum; Authoritatem Regiam in hominibus ejus dominationis summam, et externorum Episcoporum et principum et potestatum quarumcunque jurisdictioni minime subjectam æstimaturum; opiniones verbo Dei contrarias, omnesque hæreses omni diligentia refutaturum, denique vera consuetis, scripta non scriptis in causa religionis semper antehabiturum. Secundo fideliter promitto me Collegium hoc cuius nunc sum electus Magister, omni cura et diligentia administraturum omniaque illius bona, terras, tenementa, possessiones, redditus, libertates, jura, privilegia, ceterasque res universas tam mobiles, quam immobiles integre conservaturum; Statuta omnia et Ordinationes hujus Collegii quæ ad Dei gloriam et ad Collegii decus ac emolumenntum spectare scivero (quantum in me est) inviolate observaturum, et ab aliis observari curaturum, omni personarum acceptance posthabita; neque dispensationem aliquam in gratiam et favorem cujusquam adversus eadem Statuta aut eorum aliquod impetrabo, nec ab aliis curabo impetrari, nec impetratam acceptabo ullo modo. Hæc omnia in me recipio, et ita fidem do." His autem peractis volumus, et statuimus ut præminatus senior Socius (eui tempore vacationis omnium rerum administratio et custodia con-

cedebatur) vel, illo electo, Socius senior proximus, statim post hanc professionem Magistro nuper electo verum et integrum præbeat computum de rebus Collegii universis per se custoditis et administratis. Thesaurum universum, librum Statutorum, claves cistarum, quæ ad illius officium pertinent, omnia ornamenta, scriptaque universa et munimenta quæcunque ad dictum Collegium pertinentia, illi aperiat, ac tradat juxta tenorem nostrorum Statutorum custodienda: idque in præsentia omnium Sociorum domi præsentium de quibus universis Magister ipse intra unum mensem conficiendum curabit inventarium quod a Sociis omnibus lectum et approbatum intra Collegii Thesaurarium recondetur.

#### CAP. IX.

##### *De subsequentibus Electionem.*

Electo et pronuntiato novo Magistro, mox Socii duo seniores (cæteris etiam omnibus per eosdem convocationis) electionem Magistri prædicti Procancellario Universitatis seu vices ipsius gerenti significabunt.

#### CAP. X.

##### *De Vice-Magistro.*

Si Magister ob diutinam vel mentis vel corporis debilitatem vel aliam consimilem causam ad officia sua obeunda desperate inhabilis fiat, tunc, petentibus aut Sociis in hanc rem convocationis aut Magistro ipso, Procancellarius Universitatis, accedit ad se duobus in Theologia Doctoribus, aut ob eorum absentiam Baccalaureis in eadem senioribus, post rem investigatam et cum assensu alterius Assessorum suorum, nominabit aliquem ex Sociis qui Magistri locum occupet, quamdiu Magister ipse inhabilis sit, et recipiat tantam partem emolumentorum Magistri quantam Procancellarius cum assensu supradicto assignet: proviso tamen quod pars ita assignata nunquam tertiam excedat; proviso etiam quod Magistro ipsi ædes primariae reserventur.

Socius qui in Collegio adest senior, petentibus tribus aut pluribus cæterorum Sociorum, teneatur convocare Socios tum præsentes tum absentes ad hanc rem considerandam.

Socio per Procancellarium ita nominato titulus erit Vice-Magistro: munera omnia et officia et auctoritatem Magistri exercebit, stipendium assignatum recipiet, et Statuta omnia ad Magistrum spectantia observare tenebitur, donec Magister ipse vel in locum suum redeat vel Magistratum omnino relinquit.

Proviso semper quod si Magister rursus fiat habilis et officii capax, Procancellarius, cum assensu supradicto, re probata, Magistrum ita habilem factum in officium suum et locum et emolumenta integra redet, et Vice-Magister locum inter Socios suum rursus occupat.

Proviso etiam quod si Vice-Magister aut moriatur, aut officium suum resignet, aut Socius esse quoquo modo desinet, aut inhabilis fiat, Procancellarius iterum eodem modo et iisdem petentibus alterum ex Sociis in eundem locum constituet.

#### CAP. XI.

##### *De Magistri, si res exigat, Amotione.*

Si Magister a fide et communione Ecclesie Anglicanæ, uti legibus regni stabilita extat, aperte secesserit, tunc Procancellarius, accedit ad se duobus in Theologia Doctoribus, aut ob eorum absentiam Baccalaureis in eadem senioribus, re quamprimum commode possit investigata ac demonstrata, cum assensu alterius Assessorum suorum, illum a Magistratu absque mora amoveat.